

esset, nulla enim ab iis distinctio, nulla univocatio provenire posset;
accidentia autem dici non possunt, quia id quod substantiam con-
stituit, non potest esse accidens.

§. 10. Respondeo gradus illos esse substantiam, non tamen ali-
am ab ea quae dat gradum specificam, sed tantum differre concepti-
bus, quemadmodum substantia a materia prima Angelo, lapide etc:
quae forma universalis ratione animalis & vivi formatur, quia videt
Operationes extrinsecas, quae denotant principium substantiale,
quod juxta hoc connotatum denominatur. Sic homo dicitur animal
quia concipiatur per ordinem ad sensualem, rationale vero per ordi-
nem ad discursum: Mendoza phys. disp. 4: Sect. 3. Interim non sunt
realiter distincta principia harum operationum & quia unus gradus
absq; altero concipiatur, sed a parte rei est unum & idem quod inad-
quate concipiatur.

§. 11. His ita constitutis, racea Horstius l. b. 2. de Homine c. 2.
q. 4. cum suis alleclis de aequivocatione generis, ac si nimirum ani-
mal de homine & bruto non univocè prædicetur: dum nimirum, uti
inquit, sensitiva in homine esset virtualiter, in bruto vero essentiali-
ter. Neq; in bruto est essentialiter, uti ipse terminum sumit, nimi-
rum peculiaris a specifica. Si vero quis per τὸ essentialiter intelligat
id, quod objecta sensibilia percipit in utroq; est essentialiter & nulla
hinc generis aequivocatio, quemadmodum etiam si per animam vege-
tativam intelligitur id quod disponit materiam, auger, nutrit, in ho-
mione planta & bruto est formaliter & essentialiter;

§. 12. Nec obstat in bruto & planta esse materiales, in homine
vero spirituales. Materialitas sanè & spiritualitas tantum concurrit
per accidens, nec pertinet ad conceptum vivi & animalis. Quod si
animal ex iade aequivocè de homine & bruto, vivum de his & planta
prædicarentur: næ substantia de lapide & Angelo prædicabitur aequi-
vocè. Tacco Authores hodiè statuere τὸ vivum genus univocum re-
spectu Dei & reliquorum viventium. Compton, de an. d. 6. sect.
2. seqq.

§. 13. Mirum occurrit quod de universalibus occinit: quasi aliud
sint a singularibus, & conceptibus adæquate correspondere debeant
res seu contra. Falsissimum hoc est, & contra experientiam, colorem

B 3 enim